


Le Doux, Gaston. De recta et vera ratione progignendi lapidis philosophici, seu salis argentifici & aurifici dilucida & compendiosa explicatio. Ad illustrissimum Principem dei gratia electorem sancti romani imperi, archiepiscopum coloniensem, episcopum leodiensem. Authore Gastone Claveo subpræsidente particulari Nivernensi.


*Nivernis, ex officina Petri Roussin typographi D.
Ducis Nivernensis & Rethelensis. M. D. XCII., 1592.
Cote : BIU Santé Pharmacie RES 11272 (2)*



DE RECTA
ET VERA RA-
TIONE PROGIGNENDI
Lapidis Philosophici, seu
salis argentifici & aurifici
Dilucida & compendiosa
explicatio.

*Ad Illustrissimum Principem dei
gratia Electorem sancti Romani im-
perij, Archiepiscopum Colonensem,
Episcopum Leodiensem.*


Authore Gastone Clauco subpræsidente
particulari Niuernensi.



NIVERNIS,

Ex officina Petri Roufsin Typographi D.
Ducis Niuernensis & Rethelenfis.

M. D. XCII.





ILLVSTRISSIMO

ET SERENISSIMO PRIN-
CIPi ERNEST, DEI GRA-
tia electo & confirmato Coloniae
Archiepiscopo, sancti Romani Im-
perij in Italia Archicancellario, &
Principi & electo & confirmato,
Episcopo Leodiensi, Heldischein, &
Freisingiæ, Postulatore Munster,
Administratore Stauelot, Comiti
Palatino Rhenensi, Duci vtriusque
Bauierij, Vuesphalæ, Duci Bouillo-
nensi, Marquiso Franchinon, Comi-
ti Fougre & Horne, suæque Celsitu-
dini, Gaston Duclo subpræses parti-
cularis in foro Niuernensi fœlicitatē
peroptat.



Idemus præ oculis, et habemus in manibus, Princeps illustriſſime, magnifica opera marmorea à seruo tuo domestico, tibi-

A ij

que obsequentissimo & ciue Urbis tue
 Leodiēsis sculptore & Architectore ex-
 cellentissimo Thoma Toletō constructa.
 Opera, inquam, omnium generum &
 diuersorum colorum marmorum, quæ
 tua ex patria Leodiensi huc aduecta
 sunt. Nec recusauit Toletus Venia pe-
 tita & iussu tuo hisce calamitosiſ tem-
 poribus in Gallia æſtuantibus innume-
 ris sese obijcere periculis, cum iter confi-
 ceret, ut Principibus nostris Illuſtriſſi-
 mis ducibusque Niuernensibus tibiſque
 parentibus in his operibus construendis
 inſeruiret. Quæ in re cum eorum excel-
 lentia gratiſſimam rem feceris, non mi-
 nori cum voluptate eorum desiderio à
 Toletō ſatiſfactum eſt. Dicit enim non
 poteſt, quanta animi letitia expleti ſint
 operi iam plures ante annos inchoato
 extremam manum impositam vidiſſe.

5

se ab eo, inquam, qui tibi seruus est ob-
sequentissimus, Atque eò magis, quò
ea, quæ vix intra quinque lustra spe-
rare non potuissent, tam ingeniose, tan-
taque omnium admiratione & dili-
gentia intra biennium expleuerit, ut
præstantius quidquam conspici nō pos-
sit. Altare in eade diui Cirici ecclesiæ hu-
iusce Urbis Niuernensis, cathedrali
mira arte marmoreo opere adornauit:
Nec minori arte pilis & columnis mar-
moreis oratoriam stationem illustrissi-
morum ducum nostrorum in proximo
positam construxit: Statuas & imagi-
nes eorundem marmoreas ab anteces-
sore sculptore inchoatas perfecit, & su-
per eandem stationem oratoriam lo-
cauit: Sed & alia recens exculpsit. Tā-
ta arte omnia hæc confecta, ut qui cō-
spexere, nulla sculptorum opera in om-

A iij

nibus Gallia templis ecclesiasticis sed nec in longinquis alijs regionibus opulentiora, speciosa magis, aut pretiosa, aut ingeniosè sculpta vidisse se palam profiteantur. Quocirca ut artificis adeo ingeniosi maximeque laude digni memoria posteris relinqueretur, iusserunt Principes & Duces nostri illustrissimi nomen Thomæ Toleti ijsdem operibus marmoreis insculpi. Huiusce tam excellentis ornatus & decoris in ecclesia nostra cathedrali Niuernensi non solum Duces nostri Illustrissimi tibi gratiam habituri sunt, Princeps Illustrissime, sed tota hæc prouincia dignas & meritas laudes nusquam celsitudini tuæ sufficientes referre poterit, cuius beneficio homine potiti sumus adeo raro & experto in ea arte quā profitetur, ut vix alter toto orbe reperiat. Illius sanè fa-

ma & celebris existimatio non solum
 in proximis sed & longinquis Prouin-
 cijs adeò percrebuit, ut à quampluri-
 bus Viris illustribus accersitus sit, qui
 tamen reditum ad tuam celsitudinem
 singulis momentis anhelans, ut tuis
 iussis obsecundet, obstringere se cuiquam
 semper recusauit. Virum hunc Toletum
 tuum, cum primum huc appulisset, con-
 ueni, cuius admirandum ingenium cum
 ex operibus oculis subiectis agnouissem,
 melioribus moribus à natura dotatum
 expertus sum. Cum nemine usquam
 obiurgare, nullius existimationi conui-
 tiose detrudere, omnibus obsequiosum
 & amicissimum se præstare, & ijs im-
 munem esse acclamationibus, quibus nō
 sine contumelijs & blasphemijs ple-
 nique huiusmodi hominum, qui ma-
 nuum opera victum sibi comparant,

Uti solent. De illius Vita & morum
 probitate plura nō dicam, ipsi enim cel-
 situdini tuæ à multis temporibus, Prin-
 ceptis illustrissime, cogniti, nobis ignoti
 non sunt. Sed ut ad hominis ingenium
 redeam, cum paucos post dies huc ap-
 pulisset, & familiariter cum eo conue-
 nissem, ratus fui aliquid cum de Chry-
 sopæia subodoratum. Itaque sciscitatus
 ab illo itane in conficiendo illo philoso-
 phorum lapide ingeniosus esset, ut in
 sculpendis & expoliendis marmoreis
 lapidibus, respondit modestè, se tanti
 secreti ignarum, sutori ultra crepidam
 progrediendum non esse, sed Principis
 excellentissimi seruum esse obsequentis-
 simum, qui hisce rebus delectaretur, qui
 viros pios & probos suspiceret & ama-
 ret, improbos & impostores odio pro-
 sequeretur. Celsum tuæ Verba fa-
 ciens

ciens ex ea audiſſe vidiffe ſe ter proie-
 ctionem pulueris aurifici à quibuſdam,
 quorum alter alteri incognitus eſſet, fa-
 ctam in argētum viuum, quod in au-
 rum veriſſimum mutatum fuiſſet, id-
 que coram eadem tua celfitudine. Hoc
 idem vidiffe ſe actum in tua ciuitate
 Leodiendi identidem aſſeuerauit. Te-
 ſtimonium tuum, Princeps illuſtriſſi-
 me, fidem certiſſimam facit non omni-
 no fabuloſa eſſe, quæ de eo Lapide Phi-
 loſophico antiquitus ſcripta ſunt, nunc
 etiam referuntur. Cum autem Toletus
 Virtutem tuam eximiam atque ad-
 mirandas animi tui dotes laudaret,
 ſatis autem laudare non poterat, nihil-
 que aliud exoptaret quàm reditum ad
 tuam celfitudinem, cui Vitam ſuam
 omnēque obſequium deuoueret, putauit
 eandem celfitudinem tuam æqua &

B

beneuola mēte accepturam, si quod par-
 tim Vidi, partim quid de eo puluere
 aurifico sentio, nomini tuo dicarem. Sa-
 nē hac, quantulacunque sint, prælo cō-
 mittere nisi post obitum meum primò
 decreueram. Verū singularis bene-
 uolētia tua erga literarum secretiorum
 amantissimos, Virtus & celsitudo tua,
 obsequium qualecunque meum quod
 eidem offero, & amicitia quam cum
 Toletō ex sympathia quadam natu-
 rali inij, me cōpulerunt, ut hac scribe-
 rem. Quæ tametsi prælo excusa sint,
 omniū præter celsitudinis tuæ obtutum
 & oculos effigient. Tanta enim miste-
 ria irrisoribus, impijs & indignis im-
 pertiri nefas est. Ferē omnia quæ Verē
 hac de re proferri possunt, sine arrogan-
 tia dixerim, perspicuē declarasse me
 puto. Vnica est totius arcani clauis, quā

fidei Toleti commisi, sine qua tam admirandi secreti seraturæ aperiri non poterunt. Ipsa est causa efficiens, scilicet fornax, quæ æquabilitatem caloris et) conuenientis præstare possit. Illam manibus proprijs meo consilio construxit, & ad modum caloris solaris in inferiora reflexi. Illius vires & effectus certissimos experientia didicimus. Hanc nullus, ut opinor tanta nec tam facili arte construxit. Totam vim in igne iacere puto in horum inanimorum corporum mistione. Ex ignoratione æquabilitatis illius ferè omnes metam optatam non attigere, nec attingent. Hanc igitur fornacem Toletus verbis aut pictura non describet aut pinget, sed re ipsa demonstrabit: Quædam etiam quæ oculis vidit non contemnenda, quæ in vulgus profun-

B ij

*dere perniciosum existimaui. Interim
Princeps illustrissime labores hos
meos æquo animo amplectere.*

*Niuernis apud Ligerim
Calendis Aprilis.*

1592.





DE RECTA ET VERA RA- TIONE PROGIGNENDI Lapidis Philosophici, seu salis argentifici & aurifici Dilucida & compendiosa explicatio.



ARTIS, vt opinor, di-
sputatū est à nobis
in vtramque partem
in Apologia nostra,
Argyropœia & Chry-
sopœia esset ars vera
necne. Præterea euidentissimis ratio-
nibus & demonstrationibus confirma-
tum est materiam argento & auro pro-
ximam siue semen auri aut quod semi-
nis argentei aut aurei vicem gerit, esse
argentum viuum tam vulgare quàm

B iij

*Propos-
itio.*

quod reliquis corporibus metallicis in-
est, quodque sola egeat perfectione à
causa efficiente & perficiente in Argy-
ropœia & Chrysopœia. Hanc autem
causam efficientem præcipuam dixi-
mus esse Argyrogoniam & Chrysogo-
niam, ignem verò externum, adiutricē.
Sed perfunctoriè quidem de vtraque
causa efficiente à nobis est disceptatū.
Cum autem Argyrogonia & Chryso-
gonia vt causa efficiens præcipua præ-
stantior & nobilior sit materiā quam
informat, & perficit, nec illam natura
perfecerit, sed tātum inchoatā relinqui-
rit, quam vt ipsa eadem perficiat artifi-
cis manum veluti ministram expectat,
de illa, inquam, luculentius differere &
definire quàm in Apologia apud me
constitutum est, vt stipulationi à me
sponte cōtractæ sub finem eiusdem A-
pologiæ aliqua ex parte satisfaciā. Hoc
autem cō libentiùs aggredior, quòd vi-
deam plerosque labores multos atque
infinitos non sine magnis sumptibus
impendere experiendo quæ passim &
vt plurimùm sine ratione scriptis tradi-

ta sunt ab his, qui artem hanc profitentur, & tandem ex tantis laboribus nihil aliud quàm versuram facere. Quorum omniū me miseret, eosque à via aberrantes in rectā reuocare officiosum esse putavi. Ex tantis enim laboribus nullos laudabiliores, faciliores, & minorū sumptuum demonstrabo, quàm qui in quærandā vestigandaque Argyrogonia aut Chrysogonia (quam nunc lapidem Philosophicum aut salem argētificum aut aurificum appello) à viris pijs bona fide impensi sunt, aut impenduntur. Quocirca, vt in Apologia diximus, in huiusce salis aurifici inuestigatione cæteris omnibus explosis Chrysopœiæ studiosos omnem operam collocare oportet.

2. SED NE frustra in ipsius inuestigandi & perficiendi ratione laborare videamur, propiùs quærendum est, cur salem aurificum nominemus, cur etiā hac vi aurifica præditus argentum viuū vulgare aut quod metallis inest, in verissimum aurum perficiat. Hæc igitur est ratio & causa. In omni corpore mi-

*Cur lapis
Philosophico
rū sal au-
riferū ap-
pelleitur.*

16 DE RECTA ET VERA, &c.
sto, quatenus sola mixtionis ratio habe-
tur, plures & variæ substantiæ arte pro-
liciuntur. Quæ generaliter in duas se-
cantur, scilicet in humidum & siccum,
quod ex aqua & terra eorum materia
potissimum constet, quamuis aëris &
ignis substantijs etiam constet. Sed hu-
mida substantia veluti aqua in vaporē
aut exhalationem igne agente rarefcit
& eleuatur. Sicca verò substantia velut
terra subsistit & fixa est. Rursus vtraq;
substantia bifariam distribuitur. Quæ
enim humida est, altera est aquea aquæ
qualitates referens, scilicet frigiditatis
& humiditatis, altera aerea seu oleagi-
nea aeris qualitates referens scilicet hu-
miditatis & caloris. Quin & vtræque
tenuitate aut crassitiæ distinguuntur. Quæ
enim plus terre obtinet, crassior est, quæ
minus, tenuior. Non enim pura est a-
quea substantia, sed etiam aliorum ele-
mentorum scilicet aeris & ignis substā-
tia constat. Sicca etiam in puram &
tenuem & impuram & crassam sece-
ditur. Pura enim & subtilis salis naturam
& nomen obtinet, partim terræ quali-
tatem

tatem scilicet siccitatem, partim ignis
 scilicet caliditatem referens. Impura
 verò & crassa est veluti reliquarum sub-
 stantiarum fex, quæ calore igneo excel-
 lente in vitrum mutatur. Has omnes
 substantias varias re ipsa facillimè se-
 cerni conspiciamus: è corporibus debi-
 lioris multionis, quæque heterogeneis
 constant partibus, vt lignis, ægetrimè
 verò è corporibus vniformis multionis,
 quæque similaribus constant partibus.
 Cum enim ligna exuruntur, exudat hu-
 mor quidam alimentarius, qui aqueus
 est & tenuis. Inflammat alius, qui æ-
 reus est & tenuis. Abolita flamma in
 carbone continetur partim aquea, par-
 tim oleaginosa substantia, sed vtraque
 crassior. Secretis his substantijs reliquus
 est cinis, ex quo per lixiuium educitur
 & percolatur sal, calore enim agente
 aqua lixiuij in vaporem abit, & quod
 imo vasis subsidet terreum gustu sal-
 suginosum esse deprehenditur. Educto
 autem sale qui superest cinis, ille est, qui
 in vitrum liquatur calore igneo agen-
 te. Hunc cinerem per translationē ter-
 ram mortuam & crassam appellant,

C

18 DE RECTA ET VERA, &c.
quòd nullis prædita sit facultatibus: Re-
liquas verò spirituosas, tenuissimæ ef-
sentia & veluti viuas, quòd admirabi-
les agendi facultates obtineant. At ve-
rò harum omnium efficacissima est sa-
lis substantia, seu agendi facultatē spe-
ctemus, Est enim sal igneæ naturæ ob
calorem præsertim, vt qui igne diutur-
no & vehementi proliciatur, seu patien-
di potestatem consideremus, Est enim
terreæ naturæ, quæ vi ignis non supera-
tur, seu tenuitatem substantiæ eiusdem
salis intueamur, quòd à fecè terrea im-
pura & crassa vindicatus sit. Idcirco pe-
netrat & subit partes solidas. Hæc igitur
est causa, propter quam solo sale au-
rifco egeamus. Quippe quòd in illius
substantia insita sit vis & facultas ignea,
quæ argenti viui indefinitam humidi-
tatem coerces & temperat, & terrea &
fixa, quæ eandem sistit, inspissat, & figit:
Metalla quoque reliqua in aurum per-
ficit. Tandem verò eadem aureo in-
trinfeco colore fixo tingit. Sal enim
terra est purissima. Et corporum om-
nium mistorum color est ex terreo pu-
rissimo subtili & misto & vnito. Hinc

COMPEND. EXPLICAT. 19
appellata est hæc ars Halchemia. Hals
enim Græca voce sal est, & chemia, fu-
sio. Quasi finis huiusce artis non sit a-
lius, quàm docere qua via & ratione sal
aurificus fusilis cōficiatur. Quod Chry-
sippus Fauianus assecutus videtur. Ex-
perimento autem didicerunt eiusdem
artis authores magnam vim sali inesse.
Aqua enim acris quæ destillatione à
sale petre & calchanto arte prolicitur
(quæ nihil aliud est quàm subtilitas eo-
rundem) argentum viuum concoquit,
& in colorem subcroceum calore agē-
te sistit, quem præcipitatum vocant. At
non figit perpetuò, quòd aqua fixa non
sit. Sed pulvis seu sal noster aurificus,
cum omnem vim ignis toleret, nec mi-
nùs, imò valentiùs quàm aurum eidem
resistat, perpetua fixatione figit argētum
viuum, vt imposterum ab ignis vi tutū
fit, nec rare scat, nec in vaporem abeat.
Nec mirum est tantam vim huic sali
inesse, Quippe quòd ab ignaua, imbe-
cilla, atque humida natura, necnon &
crassa, terrea atque impura, vindicatus
in spirituosam & igneam naturam no-
bilitatus sit. Et cum in eo dominium

C ij

*Argenti in
aurum mu-
tatio.*

ignis habeat, celerrimè penetret, & argenti viui partes intus subeat, & in impuris metallis effectus ignis producat, qui sunt purgate, heterogeneas partes excernere, humidum interminatū definire, & ad æqualitatem reducere, atque his de causis reliqua metalla in aurum perficere. Hinc magnus apud medicos vsus est salium, vt præterea tanto simplicium variorum aceruo in remediōrū cōpositionibus opus nō sit. Quid? Nonne qui sacris his initiantur, norunt vi salium ex ære & ferro arte prolicitorū argentum purgare, & indefinitum illius humidum definire & in aurum verissimum perficere? Conficitur enim malagma ex auro & argento cum emundato argento viuo, & exprimitur in corio pars argenti viui, quæ perfluit, Et qui reliquus est globus his salibus chrysocolla addita obuoluitur testaceo in vase, hinc primū imbecillo calore, deinde paulatim aucto concoquitur, & tandē vehemētiore igne liquatur. Quod imo vasis testacei subsidet, regulum appellāt, & est massa quædam solida, quæ examini regio scilicet cimenti expolita

purgatur, & quod superest, totum est aurum. Sic argentum mutatur & perficitur in aurum. Neque aliunde huiusce perfectionis causa proficiscitur quàm à facultate salium æris & ferri, quanquam etiam aurum & argentum vitium adiuvant. Sed nihili æstimandi sunt hi sales, si cum sale nostro aurifico comparentur. De eius vi & facultate plura paulò post.

3. Nunc igitur salis huiusce aurifici vel lapidis philosophici rationē aggre-
diemur. Natura enim sola nisi arte adiuta eo potiri nobis denegavit. Equidem à perito artis, qui coram edoceret, solidiùs demonstrari, quàm rationibus confirmari posset. Hæc enim ars ex ijs est, quæ non nisi oculorum & cæterorū sensuum testimonio fidem faciunt, cū effectus salis aurifici re ipsa demonstratur. Verum cum pauci sint, qui artis præceptiones didicerunt, pauciores qui eam scriptis verè & apertè tradiderint, paucissimi aut nulli, qui re ipsa demonstrare velint, aliunde præceptores accersendi sunt, qui non solum artis præceptiones edoceant, sed & de omnibus

quæ à plerisque scriptis tradita sunt, verè discernere & diiudicare demonstrant. Præceptor is est natura, in cuius, operumque illius contemplationem incumbentes nusquam à recta via aberrabimus, præsertim in inuestigatione & perfectione salis nostri aurifici. Sed ipsa natura manum artificis exposcit, quæ ei subministret materiam, ipsa autem agat. Primum igitur in naturæ opera incumbemus, si causas ordinem & modum solius naturæ in corporum multorum procreatione generaliter contemplati fuerimus: Deinde in quibus naturam imitari possumus, in quibus verò, non: Hinc quæ sint artis partes: Postremò methodum & modum agendi apertè declarauerimus. Hæc sunt, quæ ordine tractanda proposui.

Ordo dicendorum.

De causis rerum naturalium.

4. DE causis naturalibus solis ortus aut interitus corporum naturalium & cæterarum mutationum eorundè pauca dicam, Quandoquidem hæc è Phisicis fontibus haurienda sunt, & quædã in Apologia nostra attigimus. Id solùm repetam, materiam ex qua aliquid fit, & causam efficientem à qua fit potissi-

mum desiderari. Illam pati, ut formam
 suscipiat, hanc agere & formam eidem
 insculpere, tanquam sculptorem lapidi
 & sigillum ceræ figuram. Diutius igitur
 in causarum naturalium cognitione
 non immorabimur, Sed propius ordinem
 & modum agendi naturæ contem-
 plabimur. Hi enim operi nostro
 plurimum inserviunt.

§. INTVENTES igitur acutissimè
 ordinem naturæ quem seruat in tota
 hac rerum vniuersitate, quas procreat,
 videmus primùm ipsam in vniuocis
 generationib⁹ ex aliquo corrupto semē
 gignere, In æquiuocis autem corpus,
 quod seminis vicem gerit. Postremò
 vtrumque perficere. Atque hic ordo
 est naturæ inuiolabilis. Plantæ enim
 pleræque & perfecta animalia semen
 prius proferunt, quod deinde perficiunt.
 Cælum & astra compositum corpus a-
 liquod corrumpunt & putrefaciunt, &
 ex putredine producitur corpus quod-
 dam humidum, quod est veluti semi-
 narium, cui inest proportio quædā cœ-
 lestis caloris, quo idem ipsum perfici-
 tur. Sed & metallorum & mineralium

& omnium quæ in venis terræ gignuntur materia proxima ex corruptione alterius præcedentis gignitur, quæ postea à causa efficiente perficitur.

*Differētia
generatio-
nis & cor-
ruptionis
à perfe-
ctione.*

6. S V N T autem longè diuersæ ortus & interitus seu generationis & corruptionis species à perfectionis specie. Quod maximè animaduertendum est, quodque totum huiusce operis arcanū detegit. In omni generatione, cui comes est perpetua & indiuidua corruptio, corpus ex quo semen producitur, non totum mutatur in semen, sed portio purior. Plantæ & animalia ex alimentis semina sua proferunt, Semen enim omne excrementum est vtile alimentum. Sic corpus ex cuius corruptione animalia gignuntur, non totum in seminarium animalium mutatur, sed portio quædam. Et cum ignis ex ligno generatur, tota ligni substantia in ignem non vertitur, sed aerea tantum portio, Aquea autem substantia euanescit, & terrea subsidet vt cinis. Præterea generatio est substantiæ, quæ prius non erat, siue à non Ente ad Ens: Corruptio vero substantiæ quæ prius erat, siue Entis ad

ad non Ens. In corruptione corporis misti, fit resolutio substantiarum ad primam materiam, id est ad elementa ex quibus mistum concretum erat. At in generatione fit eorundem secretorum mistio. At cum semen aut quod vicem feminis gerit, perficitur, nihil ex quantitate seminis deperit, imò plerunque augetur. Ouum enim cum excluditur, fracto putamine nihil relinquit in cortice, sed totum mutatum reperitur in pulum. Semina animalium, cum perficiuntur, nihil eorum substantiæ deperit, imò augentur. Seminis substantia cum perficitur, eadem est, quæ prius erat, nec fit mutatio non Entis ad Ens. In perfectione nulla fit resolutio aut secretio substantiarum, sed omnes persistunt, sine intertrimento, licet mutantur, ut in ouo, cum ex eo fit pullus. In summa generatio & corruptio, & perfectio ad diuersos fines diriguntur.

7. S c i o multos aduersus sententiã hanc insurrecturos. Negabunt enim semen perfici, sed corrumpi, & ex corrupto semine generari animal. Cum enim generatur animal, prius non erat, & quod

Quæ aduersus superiora dicuntur.

D

29 DE RECTA ET VERA, &c.
fuerat prius semen, corrumpitur, & iam
non est. Hinc celeberrima illa quaestio
agitata est, An in semine anima, ut pu-
ta canis, quæ illius est forma, sit actu an
potestate tantum, Et an eadem sit semi-
nis forma, & alia eius, qui ex eo semine
gignitur, scilicet canis, An verò in utro-
que eadem anima aut forma sit. Fer-
nelius Ambianensis ille summus Phi-
losophus & medicus sub persona Eu-
doxi aduersus Brutum disputans libro
priori de abditis rerum causis multis
rationibus & argumentis contendit in
materia ne minimum quidem formæ
præextitisse, sed ubi ad summam præ-
parationem ventum fuerit, statim &
momento formam extrinsecus accede-
re veluti quadam inuitabili necessita-
te. Hanc opinionem Iulius Scaliger sub-
tilissimus Philosophus ambitiosam ni-
mis arguit, & euidentissimis rationibus
& ex autoritate Aristotelis animam
aut formam canis esse actu in semine
canino confirmare videtur, Et semen
caninum esse canem imperfectum, Per-
fici autem semen ab anima seu forma
canis, quæ est præcipua canis substantiæ

pars, veluti causa efficiente. Hanc canis formam seu animam sensibus per functiones non percipi, sed ratione per intellectum. Sic & in ovo avis esse formam actu, sed ouum auem esse imperfectam: Nec corrumpi ouum dum gallina ouis incubat, sed perfici. Sic in cæteris seminibus. Quod si mihi in tam pugnantibus celeberrimorum virorum sententijs meam interponere liceat, existimarem dicendum, formam actu priori aut posteriori considerandam esse. Prior formam ipsam constituit, Actus enim forma est, quæ inchoata aut imperfecta dici non potest, quippe quod substantiæ magis aut minus non recipiant, ut in Physicis confirmatur. Posterior verò actus formæ actiones & functiones exercet. Catellus nondum generat, canis tamen est actu, At cū ætate perfectiori fuerit, semen generabit. Sic in semine formam esse actu priori, posteriori minimè, Sed tum demum, cū perfectum fuerit semen, posteriorem adijci. Neque propterea formam esse imperfectam, sed semen aut compositum. Quod autem obijcitur, cum canis ex

28 DE RECTA ET VERA, &c.
femine gignitur, generationem esse, nō
enim ante erat canis, & semen desinere
esse semen, cum antea fuisset, sic diluē-
dum esse, Substantiam canis non gene-
rari, sed accidens seu actum substantiæ
canis posteriorem, quæ non sit vera ge-
neratio. Actus enim ille posterior, pro-
prietas & accidens est, quod nondum
erat in semine priusquam canis esset:
Sed substantia dici nō potest, quod sub-
stantiæ accidat, neque per se subsistere
possit. Sic cum canis crescit, formā aut
materiam canis non crescere, sed canē
integrum. Magni profectō momenti
est hæc quæstio etiam in proposito ne-
gotio salis nostri aurifici, vt mox sub-
iungemus. Nam tametsi ex numero ge-
nerationum æquiuecarum sit, nihilo-
minus idem quod in vniuocis iudican-
dum est. Attamen in vnum omnes cō-
sentiunt & conspirant, animam ratio-
nalem hominis antea in semine actu
non fuisse, sed à Deo creatam & extrin-
secus foetui infundi, & immortalem ef-
se. Quæ sententia verissima est, & ex-
tra omnem cōtrouersiam. Idcirco Sca-
liger tres generationum ordines sta-

tuit, vnā vniuocam, cuius parentes sunt
causæ efficientes sibi que similes produ-
cunt: Aliam æquiuiocam, cuius parens
est cœlum & astra, nec sibi similia pro-
ducunt: Et animam rationalem homi-
nis, cuius solus Deus creator est, quæ cū
infunditur, cæteris animabus, quæ erant
in semine, scilicet vegetabili & sensiti-
ua abolitis, vnica superfit, idque ex *Ita sentit D.
Thomas.*
theologorum sententia.

8. HINC Perfectio definiri potest, *Perfectio
quid sit.*
vt sit eius, quod iam est in rerum natu-
ra & actu priori, ad posteriorem pro-
motio, vt cum ex semine canino fit ca-
nis. Perfectio autem omnis dicitur aut
simpliciter, aut comparatè. Itaque se-
men simpliciter dictum, perfectum est,
comparatè, imperfectum. Rursus com-
parata perfectio est, vel substantiarum
ad innicem, vel earum ad accidentia,
vel accidentium ad accidentia. Vt in
simplicibus corporibus, ignis substan-
tia perfectior est substantia aeris, quod
in igne sit plus actionis. Sic & aer aquâ,
& aqua est terrâ perfectior. In mistis cor-
poribus homo perfectior bruto, brutum
planta perfectius. Planta inanimis cor-

30 DE RECTA ET VERA, &c.
poribus perfectior. Sed & omnis substantia accidente perfectior est. Et accidentia alia alijs perfectiora, calor frigore perfectior, frigus humido perfectius, humidum, sicco. Finis autem perfectionis & scopus alius est, vt perfectū agendi facultatem acquirat, quæ prius illi non inerat, vt animal cum potest, semen generat. Alius, vt perfectum patiendi facultate potiatur, vt vir perfectæ ætatis perferendis laboribus potentior est infante. Sed hæc patiendi potentia inanimis corporibus magis propriè conuenit, quàm animatis. Hæc enim agendi potius quàm patiendi, illa patiendi potius quam agendi munere funguntur & definiuntur. Gradus etiã sunt perfectionis, Vir enim ætate perfecta generat, at nec infans nec senio iã confectus. Neque tamen hosce perfectionis gradus in forma constituimus: Non enim anima infantis per se plus minusue agit anima viri, sed per actum posteriorem, qui est proprietas & accidēs, acutiùs aut hebetiùs agit. Hæc omnia maximè animaduertenda sunt.

9. M O D U S verò perfectionis orti

iam à natura feminis concoctione ex- *Modus per*
plicatur. Est enim concoctio authore *fectionis.*

Aristotele perfectio à naturali calore
ex oppositis patibilibus. Patibiles au-
tem qualitates sunt subiecta cuique rei
materia, vt semen. Huiusce concoctio-
nis tres sunt species, Pepansis siue ma-
turatio, quæ est humoris in humido fe-
mine existentis & indefiniti à calore
naturali concoctio facta. Epsefis seu
elixatio, quæ est humoris interminati,
qui est in humido ab humido calore
concoctio. Optefis seu assatio, quæ est
eiusdem humoris interminati à calore
sicco concoctio. Hæ omnes concoctio-
nes tam à natura quàm arte fiunt, Sed
Pepansis magis est à natura, reliquæ ab
arte. Proprie autem aut metaphoricè
seu per translationem dicuntur. Qui
plura his desiderabit, Aristotelem con-
sulat libro meteorologicorum quarto.
Modus autem hic agendi, perficiendi
& concoquendi plantarum & anima-
lium semina soli naturæ cognitus est.
Illius enim naturæ seu animæ instru-
mentum calor est naturalis, qui elemē-
to stellarum proportionem respōdet, quæ

ars imitari non potest. Aliter autem res habet in inanimis corporibus, quæ solam mixtionis rationem habent, ut in semine salis nostri aurifici & metallis perficiendis, ut in Apologia demonstrauimus, & posthac magis erit perspicuum.

*In quibus
ars naturã
imitatur.*

10. H I S ita explicatis in operibus, quæ sola natura ex sese nullius artis ope profert, deinceps quærendum, an eorum omnium habenda sit ratio tam in salis nostri aurifici quàm auri procreatione, quæ non à sola natura fit sed arte adiutrice eidem subministrãte, Tum in quibus ars imitatur naturam, in quibus verò non. In his igitur ars naturæ sequitur vestigia. Sicut natura sine materia aut subiecto nihil agit, sic nec ars. In omni enim opere tam naturæ quàm artis primùm materia quæritur. Hæc autem materia aut est remota, aut est proxima, quæ semen est, aut quod obtinet locum seminis. Sed remotam ad proximam reduci oportet, Quod perinde est, ac si dixerim ex ordine naturæ semen prius generandum esse. Sic & ars non materiam quamlibet sed proximã quærit,

quærit, id est semen tam salis aurifici, seu lapidis philosophici, quàm auri perficiendi. Nec semen sufficit, sed causa efficiēte opus est, quæ vel formam materiæ insculpat, id est semen generet, in quo est forma, vel ipsum eadem perficiat. Sic semine salis aurifici, vel auri quæsito, ars inuestigat causam efficientem naturalem propriam, quæ ipsum perficiat. Finis naturæ est forma, vel orti seminis perfectio. Sic & finis artis. Modus naturæ in perficiendo semine est Pepansis, Epsefis & Optefis. Modus artis est species Epsefis & Optefis.

II. At in his ars naturam imitari non potest. Natura enim aurum productura materiam propriam in mineris profert, quæ est auri semen, quod est ex Aristotelis opinione vapor mistus terreo subtili. Vapor hic, aut si quid aliud (nō enim inter se consentiunt authores de materia aut semine metallorum) artis materia aut subiectum aut semen non est, nec esse potest, ut ex eo aurum producat, sed aliud habet semen ex nature sinu depromptum. Natura generat semen, deinde ipsum perficit. Ars nec ge-

*In quibus
ars nō po-
test imita-
ri naturā.*

E

nerare nec perficere potest, sed iuuare
 vt perficiatur. Natura enim causa est
 efficiens præcipua, ars tantum adiutrix.
 Naturæ in perficiendis metallis causa
 efficiens ex Aristotelis decreto est fri-
 gidum & siccum. Arti causa efficiens
 est calor. Natura nusquam sola sale
 aurificum produxit, nec potuit, quod
 igneo calore non vtatur. Ars naturam
 adiuuat, vt à causa efficiente naturali
 sal aurificus producat. Natura longo
 temporis spatio aurum generat in mi-
 neris terræ. At reliqua metalla & argē-
 tum viuum, quæ sunt auri semen, natu-
 ra aut quod ex re naturali ortum habet
 scilicet sal aurificus fusilis perficit in
 momento per projectionem, igne adiu-
 uante, qui & naturalis est. Sed artis au-
 xilio in conficiendo sale illo aurifico o-
 pus fuit.

*Partes ar-
 tis quæ
 sunt.*

12. Artis igitur partes sunt, semen in-
 uestigare tā salī nostro aurifico seu la-
 pidi Philosophico, quā auro perficiē-
 do proprium. At vtrumque naturæ li-
 beralitas nobis vltro obtulit, & habe-
 mus in manibus. Aurum enim & ar-
 gentum viuum suum, vt mox subiiciā,

sunt semen salis aurifici: Et argentum viuum & metalla reliqua sunt semen auri. At illa salis aurifici & auri semina natura imperfecta reliquit, nec vltra progressa est. Sed ars eandē adiuuat naturā vt perficiantur. Nec minori liberalitate natura sed veluti prodiga causam efficientem donauit, quā semina. Hæc enim causa efficiens est ignis & calor externus, certa tamen proportione & determinatis gradibus caloris in progressu operis administrandus. In omnibus enim corporibus inanimis, quæ sola mitione perficiuntur, causa generalis efficiens est ignis. Atque hic ignis naturalis est, neque longiùs inuestigandus, sed eum vt semina in manibus etiā habemus. De naturæ igitur liberalitate, quæ semen & causam efficientem protulit, nobis non erit conquerendum, sed de turpi nostra ignoratione, si idem semen perficere ignorauerimus.

13. Sed quemadmodum perfectionis *Finis &* seu actus posterioris, qui à sola est natura in semine iam orto, finis & scopus *scopus per* perfectionis *fectionis* est varius, sic in semine nostro salis aurifici, aut semine auri perficiendo, finis *varius est.*

E ij

36 DE RECTA ET VERA, &c.
est diuersus. Finis enim feminis in sa-
lem aurificum perficiendi est, vt agen-
di facultatem ei comparemus. Aurum
enim, quod est pars eiusdem feminis,
est imperfectum, nec agit in argentum
vium aut metalla, nec ea perficit, sed
ita demum cum in salem aurificum per-
fectum erit. Finis autem argenti viui
& reliquorum metallorum perficiendo-
rum in aurum est, vt patiendi potesta-
te potiantur. Ipsa enim sine sale aurifi-
co in aurum perficiente ab igne corrū-
perentur, & partim in fumum, partim
in fecem abirent.

Modus a- 14. Modus autem in genere quo hæc
gēdi in hac semina perficiuntur sunt, scilicet Epse-
arte gene- sis & Optesis, Quæ non propriè sed per
raliter. metaphoram & translationem, vt dixi,
appellantur. Humidum enim horum
seminum indefinitum & interminatum
concoctione partim à calore in humi-
do, partim à calore sicco definiuntur, &
posteriolem actum sibi arte adiutrice
comparant. Longè autem plus artis est
in perficiendo semine salis aurifici, quàm
in perficiendis metallis aut argento vi-
uo in aurum. Hæc enim sola proiectio-

ne eiusdem salis aurifici statim igne agente in aurum purissimum perficiuntur. Argentum enim viuum metallorum purgatur, & impura fex ab eo fecernitur, & eiusdem argenti viui metallorum necnon argenti viui vulgaris humidum interminatum & indefinitum concoquitur, & terminatur, & sic transit in aurum. At semen salis nostri aurifici longiori labore & temporis spatio, ~~ut~~ ut perficiatur, indiget. De modo agendi vberius paulò post dicam, cum praxim integram patefaciam.

15. Sed cur aurum sit semen salis nostri aurifici, at non solum, sed pars eius, & cur ei admisceatur argētum viuum, nunc etiam disputandum est. Sanè aurum præcipuam esse seminis partem necesse est, cum probauerimus finem alterum Chrysopœiæ esse auri in salem mutationem, quod & omnium qui verius & seriò in eadem versati sunt, auctoritas suadeat, & ratio confirmat. Solum autem aurum non esse seminis nostri materiam, vel ex eo constat, quod solum nec corrumpi nec magis perfici vlla arte possit: tum verò quod omnis

Aurū solum non esse semen salis aurifici.

ortus ab humido sumat exordium, &
 in siccum desinat, vt videmus omnia
 animalium semina humida primum ef-
 fe, deinde sicca. Sic & de fructibus e-
 uenire ipsa docet experientia. Aurum au-
 tem cum actu sit siccum, & perfectionem
 maiorem in natura auri assequi non pos-
 sit, iudicauerunt antecessores, & recte
 quidem, aurum in humidum prius sol-
 ui oportere, quod deinde ab agente pa-
 ti possit, vt perficiatur. Nam tametsi au-
 ri materia simpliciter perspecta perfe-
 cta sit, tamen est imperfecta comparata
 materiae eiusdem in humidum mutatae.
 Hac enim solutione fit dilatatio subti-
 litatis & tenuitatis substantiae, & inten-
 sio qualitatum agentium. Itaque aurum
 in natura nondum est pars seminis au-
 rifici nostri, sed postquam in humidam
 substantiam mutatum est. Sed neque
 haec auri substantia soluta tota est se-
 minis materia, vt dixi, sed pars tantum,
 seu quod in humidum mutari, nec mu-
 tatum perfici possit sine alterius humi-
 di mixture, Non secus ac granum fru-
 menti in terra satum, nec germen hu-
 midum edere, nec se ipsum perficere &

propagare potest sine humoris circum-
ambientis mistione. Humidum igitur
quod aurum in humidam substantiam
soluit, est altera pars substantialis semi-
nis nostri aurifici. Et vtrumque mistum
est ipsum semen, quod sola indiget cō-
coctione, vt perficiatur.

16. SED vt huiusce artis professores *Diuerse o-*
vnanimi consensione auri substantiam *piniones de*
in humidum solutam alteram esse se- *humidi*
minis partem inter se consentiunt, ita ex *materia*
aduerso in altera eiusdem seminis par- *quod sol-*
te, quænam illa sit, quæ auri soluendi *uendo au-*
facultatem habeat, maximè inter se dis- *ro est ne-*
crepant. Quidam aquas esse ex mine- *cessarium.*
ralibus arte destillatas, alij ex animalibus, alij ex vegetalibus, alij ex his omnibus mixtis prolicitas professi sunt. Et videntur passim plurima à Raymūdo Lullio scripta nihil aliud docere, si modò horum author sit Lullus, aut potius illi adscribantur. Sed illis & cæteris huiusce opinionis adstipulari minimè possim. Humidum enim quod soluit aurum ab argenti viui fluxilis natura corrumpi, & mutari non oportet, nec madefacit, nec alij corpori adhæret, ne-

que miscetur, nec vnitur & figitur tandem vera vnione & fixione præterquã auro, & vnà cum auro in salem aurificum perficitur. At aquæ illæ acres destillatæ argenti viui fluxilis naturam exuerunt, madefaciunt quod tangunt, vt aqua & oleum, nec adherent aut miscentur vera mistione, nec vlla arte figuntur cum auro, aut in salem aurificum cum auro perficiuntur, imò in examine secernuntur, exuruntur atque in fumum abeunt. Rectius igitur iudicant, qui argentum viuum fluxile alteram esse seminis philosophici partem professi sunt, quod verè soluit aurum in argentum viuum, eique vnitur, & in salem aurificum perficit. Quippe quòd vnus sint nature. Igne enim aurum fustum videtur esse argentum viuum fluxile, hoc verò ab igne semotum aurum colliquatum. Verùm & hi qui argentum viuum alteram seminis partem esse asserunt, & auri soluendi facultatem habere, & cum eo vniri pronuntiant, etiam inter se dissentire videntur quodnam sit illud argentum viuum, an vulgare, an quod ex metallis arte prolicetur,

COMPEND. EXPLICAT. 43
tur, & à quo potissimum, & an ex plū-
bo, an ex stanno, an ex bisemuto (stan-
num glaciale appellant) an ex stibio.
Qui enim argentum viuum vulgare
partem esse seminis nostri negant, fri-
gidiorē qualitatem causam esse pro-
pter quam soluendi auri facultatem nō
habeat, asserunt: humiditatem autē ni-
mis indefinitam, volatilem & spiritua-
lem, propter quam figi cum eo nō pos-
sit. Argento autem viuo ex ceteris ar-
te prolicito maiorem à natura digestio-
nem inesse. Qui autem nullum alium
liquorem auro soluendo efficaciorē,
quàm argentum viuum asserunt, hac
ratione mouentur, quòd aurum Eplesi
feu elixatione solui oporteat, non secus
ac carnes aqua elixari, Argentum autē
viuum aquæ comparari, Quippe quòd
humoris, qui solutionis sit causa efficiēs,
multam habeat quantitatem. Hac etiā
de causa à siccis mineralibus per subli-
mationem alterari non oportere. Hanc
opinionem mordicū tuctur Bernardus
Treuirensis in Epistola ad Thomā de
Bononia medicum regis Caroli octauī
missam. Nec desunt etiam alijs au-

F

42 DE RECTA ET VERA, &c.
thoritates doctissimorum philosopho-
rum. Verum in discutiendis diuersis his-
ce & pugnantibus inter se opinionibus
diutius immorari non est consiliū. Hęc
enim omnia vnus generis & speciei
sunt solis accidentibus inter se discre-
pantia. Sed vt certò demonstretur, quis-
nam soluendo auro liquor efficacior e-
rit, inspectandæ sunt causæ concretionis
auri, contrariæ enim solutionis eiusdem
erunt causæ. Atqui ex Aristotelis do-
ctrina didicimus concretionis causam
partim esse siccitatem terrei quod hu-
mido auri inest, ipsumque constringit,
partim verò frigus & siccum externū,
quæ vapores (qui sunt proxima metal-
lorum materia) intra saxa densant &
cogunt: Ergo humidum internum &
humidum & calidum externum causæ
effectrices erunt solutionis auri in hu-
midam substantiam. Humidum autem
hoc externum eiusdem naturæ oportet
esse cum humido auri, quale est hu-
midum argenti viui, vt vtrumque quā-
titate superans siccum auri soluere &
euincere possit. At quò minùs erit fri-
gidæ qualitatis humidum hoc argenti

viui, eò promptiùs soluet aurum. Idcirco improbare nolim opinionem eorū, qui è plumbo, stanno, bisemuto aut stibio solent argentum viuum prolicere: Minus enim argento viuo vulgari frigidum est, & paulò magis digestum ac definitum est. Et audio multos ijs vti ad solutionem auri, & ex vtroque misto tanquam vero semine opus perfecisse. Sed nec improbandus sum, si dixerò argentum viuum vulgare alteram esse seminis partem, si modò portunculæ auri mistum & verè vnitum prius fuerit. Tunc enim appellatur per translationem argentum viuum animatum, non quòd animam habeat, est enim inanimatum, sed quòd veluti anima calidū reddit animal, quandiu est in corpore, sic aurum argenti viui frigiditatem arceat & temperat, cum eidem verè mistū est. Lapidis enim philosophici seu falsi nostri aurifici (qui nihil aliud est quàm aurum longè magis auro naturali decoctum) minima portio infinitas argenti vitii partes à nimia frigiditate vindicat, & temperat. Huic argento viuo animato insiltendum potius eo, quod

16. ex metallis arte prolicitur, hoc enim nō nisi magno artis ingenio multisque laboribus & sumptibus à metallis educitur. At ingentem argenti viui vulgaris copiam habemus, & facile purgari, & auro misceri eique vniri potest, vt mox dicam. Igitur vt quæstioni huic finis imponatur, argētum viuum è plumbo, vel stanno vel stibio arte prolicitū, vel vulgare præparatum & animatum (liceat nūc & posthac vocabulis artis vtī vt omnia significantiūs dicantur) est altera pars seminis salis nostri aurifici. Et vtrumque mistum verum est semē eiusdem, sed imperfectum.

De perfectione vtriusque seminis methodus.

17. Superest vt perficiendi vtriusque seminis imperfecti methodum seu praxim dilucidē & compendiosē explicemus, quæ huic arti est propria, & quam huiuscę epistolæ titulus præ se fert. Verū vtrumque semen seorsim præparandum, & hinc miscendum, priusquā vtrumque mistum perficienti causæ scilicet calori externo subiiciatur. Præparatio hæc est dispositio & habilitas quædam ad suscipiendos perfectionis gradus sine vtriusque formæ interitu,

sed vt heterogenea fecernantur, & purgetur vtrumque semen. Non secus ac periti agricolæ semina in terrā iacturi ea prius purgare & deligere solent.

18. Duo hæc semina huiusce artis antecessores barbaro vocabulo appellarunt Rebis, vt in Apologia dixi. Aurū vt semen masculinum, calidius & siccus, Argentum viuum, vt fœmineum, frigidius & humidum magis. Illud vt sulphur, hoc eodem nomine appellarunt: Ex quorum complexu perficitur lapis philosophicus seu sal noster aurificus. Primū de feminis fœminei præparatione, deque eiusdem animatione dicam. Nec verebor in re tam seria paululum à Latino vsu loquendi recedere, vt omnia significantius & facilius comprehendantur.

19. Purga argentum viuum vulgare terendo in mortario cum sale & aceto distillato dum in minimas partes diuidatur, hinc ablue. Purgationē & ablu-tionem toties repete dum cyaneum aut celestinum colorem contraxerit, quod perfectæ purgationis signum est.

20. Animatur hac methodo argentum

*Argenti
vini pur-
gatio.*

*Argenti
vini ani-
matio.*

F iij

46 DE RECTA ET VERA, &c.
vium. Fac malagma ex purissimo au-
ro in tenuissima fragmenta scisso & ar-
gento viuo purgato, vt solent efficere
vasorum inauratores, scilicet ex vna
auri vncia & duodecim argenti viui.
Terè diutissimè malagma in mortario
superfusa pauca aceti distillati quanti-
tate, & ablue. Idque reitera dum colo-
re etiam cyaneo & cœlestino malag-
ma insignitum conspexeris. Hinc cras-
siori & densiori linteo malagma obuo-
lutum exprime, vt totum transmeet.
Quòd si quid nō percolatum supersit,
adde ei argenti viui purgati sextuplam
partem. Et iterum tere, ablue, & expri-
me, & identidem repete dum totum ef-
fluxerit per linteï meatus. Hoc autem
cō fit, vt aurum in minutissimas partes
diuidatur. Nondum tamen in tam mi-
nutissimas partes diuisum erit, vt per
corij veruecini meatus transpirare pos-
sit, vt transmeat argentum viuum, stri-
ctiores enim sunt. Et tamen necesse est,
vt tandem totum malagma eorum ex-
pressionē perfluat, & aurum argento
viuo verè misceatur & vniatur. Cum
igitur totum malagma ex duodecim

argenti viui aut pluribus & vnica auri compositum fuerit, & linteo percolatum, include vase vitreo figuram oui habente, cuius tertiam partem malagma occupet, reliquæ partes vitri sint vacuæ: Et vitro obturetur vasculum. Languido atque imbecillo & æquali calore concoque & dissolue in fornace apta per quadraginta dies, intra quos nigredinem in superficie conspicias supereminentem, quæ signum est perfectæ dissolutionis auri in argentum viuum. Aperi vas & malagma corio obuolutum exprime, Et si totum effluerit, bene quidem. Sin minùs, pende stateris quod effluxum non est, & si vnciam, vt puta, pendeat, adiunge recentis argenti viui præparati vncias nouē. Tere, & ablue. Et rursus include vasculo vitreo, & vitro obserato, & rursus concoque vt priùs, dum in superficie supereminentem videris nigredinem. Quod breuiori tempore fiet. Hinc vitreo vasculo aperto, corio obuolutum malagma & expressum percoletur. Atque hæc opera identidem repetantur, dum totum malagma per corij meatus

48 DE RECTA ET VERA, &c.
expressum effluxerit. Sic aurum in per-
exiguas partes sectum erit, Nondum
tamen verè mistum & vnitum vtrum-
que est. Sæpius autem effluxum ma-
lagma terendum, abluendum & per
corium percolandum est, vt totum in
vaporem faciliùs feratur. Ipsum igitur
in vas vitreum obtortum & luto tena-
ci munitum ad mediam vsque partem
destilla lento calore primùm, deinde
aucto, tandem violento atque ignito, vt
aurum vnà cum argento viuo expiret,
atque in vas recipiens dilabatur in ar-
gentum viuum fluxile. Maximã enim
tum materiæ tum formæ similitudinẽ
aurum & argentum viuum obtinent,
Et cum aurum in perexiguas partes
vt argentum viuum rarefactum fuerit,
& vincatur quantitate argenti viui, ne-
cesse est alterum ab altero non distra-
hi, sed igne agente vnà sursum in vapo-
rem ferri. Quòd si forsitan quidquam
auri vasis imò superesset, eadem ope-
ra, quæ superiùs, repetenda sunt addito
nouo argento viuo, Eaque toties dum
totum destillarum fuerit, nisi forsitan
sordes aliquæ subsederint, quæ inutiles
&

& abijciendæ sunt. Hoc est verum semen femininum, & animatum metaphorice, quod soluendi auri potestatem habet. Ipsum est pars altera seminis salis nostri aurifici. Hoc est argentum viuum quod suum appellauimus in Apologia nostra, quippe quod aurum verè mutatum sit in argētum viuum per argentum viuum vulgare. Quod quidē argentum viuum auri est oleum & vera tinctura occulta. Ipsum est quod antiqui Azot appellauerunt scilicet argē- *Azot. j. 70.*
 tum viuum à corpore auri extractum. Educitur autem eadem ratione qua carnes elixatione in iusculum soluntur & mutantur. Ipsum est denique cuius beneficio diximus argentum viuum vulgare libentiùs coire cum calce auri, quàm aquam aquæ misceri. Idem argentum viuum animatum augetur in infinitum si auro rursus & nouo argento viuo admisceatur ea qua diximus arte. Appellatur etiam menstruum, a- *Menstruum*
 cetum acerrimum, quod efficit aurum esse merum spiritum. *Prepara-*
 21. Semen autem masculinum seu *tio auri vt*
 altera eiusdem seminis salis nostri auri- *fiat calx.*

fici pars, est aurum in calcem tenuissimam redactum, quæ paratur hac methodo. Fiat malagma ex vnica auri vncia & duodecim argenti viui præparati vt superius diximus, & eadem diligentia linteo crassiori percolatum dū totum transmeet. Hinc exprime in corio. Et quod supererit non effluxū, est aurum cum argento viuo, cuius figura erit vt globus. Nihil enim per corij meatus ex auro effluet, sed totum erit in globo. Globum hunc in vitreum vas iniice, & distilla lento igne argentū viuum, dum totum stillauerit. Effracto vase tere aurum quod subsidet minutissimè cum distillato argento viuo, & rursus distilla. Contritionem & distillationem toties reitera, dum aurum in perexiguas partes redactū sit. Quas rursus tere, & per incerniculū setacerū angustissimis foraminib⁹ contextū cribra, & quod excretū non fuerit, rursus tere & cribra, eademque opera repete dum totum excernatur in puluerem tenuissimum. Quem vitreo vase luto munito include, & calcina moderato igne per triduum. Hinc à vasculo exime. Et

COMPEND. EXPLICAT. ⁵¹
 si puluerem tenuissimum vt farinae flo-
 rem conspexeris, rectè quidem. Sin mi-
 nùs, reitera dum signum hoc consecu-
 tus fueris. Hinc super hoc puluere in-
 funde aquam vite, quæ tota ardeat, &
 distilla lento igne. Distillatam aquam
 rursus infunde, & rursus distilla, idque
 septies repete. Sic veram auri calcem
 habebis vt argento viuo animato mis-
 ceatur. Calcinatio hæc & in puluerem
 tenuissimum reductio est necessaria,
 tum vt faciliùs argentum viuum suum
 combibat, tum ab eodem coctione in
 puluerem impalpabilem promptiùs re-
 digatur. Cum enim huiusce artis sco-
 pus sit aurum in naturam salis mutare,
 necesse est qua possumus arte ipsum
 rarefacere & attenuare. Omnia enim
 (inquit Geber) verè calcinata ad natu-
 ram salis approximant. Et quantò te-
 nuius fuerit ante coniunctionem cum
 semine foeminino, tantò faciliùs & ce-
 leriùs soluetur in argentum viuum, at-
 que hinc coctione in puluerem.

22. Preparata hæc semina primùm
 misceri oportet mathematicè & per cõ-
 uguas partes, deinde post absolutam

*Aqua vite
mixtio.*

*Coniunctio
& prima
vtriusque
seminis
mixtio.*

G ij

52 DE RECTA ET VERA, &c.
præparationem naturaliter & per cōti-
nuas pātes vera vnione. Hæc enim lex
est & ordo omniū quę tādē verē mis-
centur, vt primū sese tangant pātes
seruatis formis prioribus integris in mi-
stione, & deinde alterentur, postremò
vniantur. Coniunctio hæc mathema-
tica & prior sic fit. Calcem hanc
auri conijcito in vasculum testaceum
quo aurifabri aurum colliquare solent,
& alio vasculo cooperi, ne carbonēs in-
tus decidant aut quidquam aliud, &
carbonibus accensis obrue vndique dū
vasculum sit ignitum, & vehementer
excandescat, ne tamen calx auri liques-
cat. In aliud testaceum vas conijce o-
cto vncias argenti viui animati, & car-
bonibus vas circum septum sit, & tandiu
excoque, dum argentum viuū expira-
re coeperit. Statim in argentum viuū
animatum conijce calcem auri incan-
descentem, & baculo agita, & moue, dū
tactu perceperis vtrumque per exiguas
partes permistū & malagmatum. Hinc
conijce malagma in vasculum ligneū
aqua refertum. Abhinc malagma il-
lud tere, & rursus ablute, & exsicca vt

omnis humiditas euanescat. Deinde exprime obuolutum in corio. Qui supererit globus, est semen salis nostri aurifici futuri, ex masculino & foemineo mistum cum iusta vtriusque proportionē. De qua tamen plurimi dubitarunt, & diuersæ de ea fuerunt sententiæ. Sed natura duce nusquam aberratur. Quantum enim seminis animati necesse est, calx auri retinet. Quod superfluum est, per corij meatus effluit. Globum hunc quatuor vncias plus minusuè pendere conspicias. Itaque calcis aureæ vnica est vncia, argenti viui animati tres, vel circiter. Nec tamen si plures tribus vncijs argenti viui animati miscerentur vsque ad quinque, quidquam esset periculi. Semen enim celerius solueretur, sed tardiùs concresceret & coagularetur.

23. Præparata sic semina & iusta naturæ proportionē mista priusquam perfecti- *Locus quo semen in-*
cienti causæ subijciantur, loco proprio *cludendum*
includenda sunt. Est enim locus neces- *est.*
sarius, qui perfectionem adiuuet. Semi-
na animalium non nisi in matrice per-
ficiuntur. Oua in cortice, fructus geniti

in terra. Extra hæc loca corrumpuntur. Locus igitur feminis nostri est ouum vitreum, id est vasculum ad oui figuram conflatum. In hoc collocandus est feminis globus hac proportionem, ut tertia vasculi vitrei partem globus occupet, reliquæ partes sint vacuæ, quibus argenti viui vapores, si qui forte conscenderint, contineantur, nec disrumpatur vasculum. Verum vasculi os vitro obstruendum est, non secus ac foetus animalium in utero, & albumen & luteum oui cortice includuntur, ne quidquam respiret. Est enim in argenti viui animati semine vapor & spiritus quidam tantæ tenuitatis & subtilitatis, ut etiam si expirauerit, oculorum obtutum effugiat. Estque altera cum calore externo perficiendi causa, Qui si euolauerit, actum est de opere, non secus ac pertuso oui cortice, perit foetus pulli. Nec cohiberi potest illius fuga & exspiratio, luto aliquo terreo quantumvis denso compacto & solido, sed solo vitro, quod densissimum est & meatibus caret.

24. Existimauerunt autem plerique semine nostrum in salem aurificum per-

Sophisticus perficiendi modus quorundam.

ficiendum esse ea via ac methodo, qua ex omnibus corporibus mistis igneo calore proliciuntur sales, igne scilicet in varias substantias eadem corpora distrahendo, sicuti superius ex lignis in cineres versis sales lixiuio educi diximus. Idcirco ex varijs corporibus aquas acres proliciunt, quarum vi soluunt aurū in liquorem, quem deinde distillant, & distillatum rursus in dissolutum infundunt. Deinde calore languido cogunt, & quod superest, salem nostrum aurificum esse opinantur, Infinita quoque alia opera agunt, quæ omnia vana, inutilia, & sophistica sunt, & plus opinionis quam veritatis obtinent. Natura ubi primū semen produxit, in varias substantias non distrahit, sed perficit: Nihil femini detrahit, sed totum perficitur. Quod magis perspicuum est in ouo, quod semen est pulli, & pullus imperfectus. Sic naturæ opera imitando, ubi primū de semine salis nostri aurifici constiterit, quodnam, & quale sit, in varias substantias secerni aut diuidi non oportet, sed sola concoctione perfici, & totum in naturam salis fusilis mutari.

Hic est totius Chrysopœiæ scopus in producenda efficiente causa, quæ argentum viuum & reliqua metalla perficit in aurum calore igneo adiuuante.

*Gradus
perficiendi
sex.*

25. Perficiendi autem gradus sunt sex numero, Dissolutio, Coagulatio, seu In-
crassatio, Fixio prior, Fixio posterior, Calcinatio, & Inceratio. Dixi gradus esse plures, cum enim definierim perfectionem esse seminis iam orti promotionem ad posteriorem formæ actū, non statim perfectio illa cōsummat, ut actus prior seu forma, quæ cum sit præcipua substantiæ pars, gradus non suscipit. Sed actus posterior gradus suscipit, ut qualitates. Sic fructus orti ex arbore priusquam ad maturitatem peruenerint, gradus perfectionum suscipiunt. Medio enim tempore perfectiores priori, & sic deinceps, dum ad extremam maturitatem peruenerint. Sic in semine nostro aurifico perficiendo necessario iudicandum est. Cum autē calor externus sit causa efficiens perfectionis, & sex sint eiusdem gradus, quinque priores quinque etiam caloris gradibus progressum habet. ~~Postquam~~

habent. Postremus est reiteratio horū
quinque graduum. Semen autem, dum
perficitur, loco mouendum non est, nec
quidquam distrahendum, vt in operi-
bus sophisticis fieri solet, sed solis quin-
que caloris gradibus committendum.

26 Dissolutio igitur, primus perfectio- *Dissolutio.*
nis gradus, est calcis aureæ, quæ est al-
tera seminis pars, in argentū viuū redu-
ctio, quæ fit calore primi gradus, nec-
non spiritus & vaporis vi, qui argento
vivo inest, sicut in animalium semini-
bus, in ouis, & in granis frumenti satis
fieri conspiciamus. Hoc enim caloris
gradu, malagmatis globus, qui primū
duriusculus erat, mollescit, & soluitur:
Et solutione peracta totum videtur in
vitreo vasculo argentum viuū cras-
sum, & velut putre. Signum dissolutio-
nis perfectæ est nigror, potissimum in
superficie eminens. Calor enim agens
in humidum nigrorem efficit. Dissol-
utio hæc ferè quadraginta dierum spa-
tio absoluitur. Est autem eadem Dis-
solutio quædam Epsefis seu elixationis
species. Vt enim carnes elixatione in
ius soluuntur calore in humido aqueo

H

existente, sic aurum calore in humido
scilicet argento viuo agente.

Coagula-
tio.

27. Succedit Coagulario seu incref-
fatio, quæ est seminis in argentum viuū
fluidum soluti inspissario, induratio, &
exsiccatio, quæ fit vi caloris secūdi gra-
dus vt causæ efficiētis, & vi terrei, quod
calci aureæ inest, cuius proprietas est
desiccare & cogere. Primū enim cū
argentum viuū quantitate superaret
humidum eiusdem calcis aureæ, neces-
se fuit siccum euinci, & in crassiusculā
& putrem argenti viui consistentiā sol-
ui. At calore aucto vapor ille tenuissi-
mus argenti viui in auras per vacuas
vasculi partes velut euanescit, & cogi
& spissari humidum necesse est, nō se-
cus ac oleum diuturno calore incref-
fatur abeunte tenui spiritu. Siccum autē
calcis aureæ combibens argenti viui
humidum multū adiuuat & cogit.
Sic ex iisdem causis humore viscoso
& humido primū lapides in corpori-
bus animalium perficiuntur, sicco ter-
reo, qui humori inest, vt materia, calore
verò externo vt causā efficiente. Sic e-
tiam conspicies sensim semen solutum

inspissari & incrassari, & in lapidem solidum constringi & cogi. Quod ferè etiam quadraginta dierum spatio euenire solet. Interim semen colorem nigrum seruabit, sed & idem intendetur in nigriorem. Hæc concoctio est quædam optesis seu assationis species, sicut & reliquæ posteriores.

28. Humidum hoc seminis nostri cū *Fixio seminis prior.* nondum sit definitum neque vnitum hac concoctione sed volatile, calore tertij gradus definiendum & figendum est. Idcirco succedit fixio. Est autem fixio auctore Gebro rei ab igne fugientis conueniens ad tolerantiam eiusdem adaptatio. Cuius inuentionis causa, inquit, est vt omnis alteratio omnisque tinctura perpetuetur in alterato & non mutetur. Quæ etiam defini potest, vt sit indefiniti & interminati humidi in semine existentis definitio & euictio, vi caloris tertij gradus facta, siccitate etiam, quæ terreo seminis inest, agente. Fixio hæc ferè quadraginta etiam dierum spatio peragitur. Conspiciuntur in hac concoctione varij colores, qui tandem omnes in candidum & niuè

H ij

desinunt. Et albedo hæc verum est fixationis signum. In hoc colore aiunt corpus, spiritum, & animam verè vniri & figi, Quod nihil aliud est quàm æqualis elementorum omnium seminis proportio, vnio, & perfectio fixa. Hoc semen perfectum argentificum appellatur, quòd in argentum viuum proiectum illud sistit, figit, & perficit in argentum verissimum. Verum hæc fixio prior appellatur, quæ licet simpliciter & absolute accepta perfecta sit, tamen fixationi salis nostri aurifici comparata indefinita atque imperfecta est, nec salis seu lapidis nomen meretur.

Fixio posterior.

29. Itaque fixatione priori absoluta succedit ex ordine fixio posterior. Quæ est humoris insiti & indefiniti in humido seminis perfecta & absoluta concoctio & euiectio, vi caloris quarti gradus facta. Hoc caloris gradu semē varios colores non cōtrahit, sed albedo incitrinum & luteum primū mutatur, hinc sensim in rubrum. Ex varia enim humoris concoctione varij colores emergunt, Sed vbi primū concoctus fuerit, albedo apparet, quæ vi ignis in

flauum, & ex flauo in rubrum tandem mutatur, Quod in sandaracha & ochra, cum concoquuntur, perspicuū est. Terreum enim subtile purissimum, quod est in semine concoctum & non exustum, est actu candidum, sed potestate rubrum, & tale vehementiori concoctione continuata euadit, & totum suū proprium humidum colore rubeo inficit & tingit. Semen hoc candidum longissimo temporis spatio in solidam massam persistit, & tandem continua concoctione sensim diruitur, & in puluerem rubrum mutatur. Hic autem quartus concoctionis gradus ducentis quadraginta diebus absoluitur. Nec de gradu caloris pertimescendum est, cum iam fixum sit semen post albedinem, sicut ante eandem perfectam periculum erat in caloris gradibus obseruandis, cū nondum fixum & unitum esset vtrumque semen.

30. Et si autem humor huiusce seminis quatuor his gradibus caloris euietus sit, non tamen omnino, nec ita vt salis naturam etiam omnino obtineat. Est enim salis natura ficcissima & omnis

*Calcinatio
seminis.*

H iij

humoris expers, Sal enim pura est terra. Est etiam natura salis vt humido frigido solvatur, quòd calido sicco concreuerit. Nisi igitur omnino fit euictus humor, verè salis naturam non obtinebit, nec in humido aqueo soluetur: Quod tamen necessarium est. Sal enim noster aurificus, cum summum sit medicamentum corporibus humanis, in omni liquore solutis est, cum agro deglutiedum exhibetur. Præterea puluis ille quarti gradus concoctus habet nescio quid impuri & terrei commistū, quod non est ex natura & proportione salis, Et ex puluere rubro educendum & excernendum est. Hęc pulueris rubri perfectissima & absoluta concoctio & ab impuro terreo vindicatio fit calcinatione, & quinti & postremi gradus calore. Est enim Calcinatio, ex definitione Gebri, rei siccæ per ignem puluerisatio per priuationem humiditatis partes consolidantis. Rectius dicendum videbatur per concoctionem absolutā humoris indefiniti. Causam autem calcinationis subiicit esse, vt puluis melius & perfectius figatur, & facilius solvatur.

in aquam. Omne enim calcinati genus
fixius esse & facilioris solutionis quàm
non calcinati experientia docet, Quo-
niã corpus in exiles & in minimas par-
tes attenuatum faciliùs miscetur cum
aqua, Itaque cum calore externo hoc
effectum sit, faciliùs in aquam soluetur.
Hac autem calcinatione pulvis noster
intumescit in modum fermenti ob ca-
lorem igneum diuturnum, cuius vi in
perexiles partes diductum est, Et terra
quædam impura in imo vasis subsidet,
& re ipsa à rubro pulvere secernitur,
Quæ abijcienda est, non enim est ex
natura salis. Eandem vilem, damnatã,
& vituperatam appellant, Estque reli-
quarum substantia^{rum} ~~in~~ efficacium veluti
fex inutilis, & ex genere terræ quæ ca-
lore excellenti in vitrum liquatur. Ter-
reo autem vase perficienda est hæc cal-
cinatio octo dierum spatio. Sic verif-
simum salem aurificum rubrum habe-
bis, cuius color erit vt sanguinis adusti.
Et in omni liquore soluetur. Omnia
enim verè calcinata, vt diximus, ad na-
turam salis approximant, Ideoque in
proprietatibus sese concomitari necesse

est, Est autem salinū natura, quòd aqueo liquore soluuntur.

*Ceratio
& solutio.*

31. Hæc quamuis ita se habeant, non tamen sal noster absolutam & cōsummatam omnino perfectionem consecutus est. Nam inter cæteras proprietates quibus præditū eum esse necesse est, ea est, vt facilimè & celeriter igne liqueatur tanquam cera, sitque tenuissimæ cōsistentiæ in fusione veluti aqua. Alioqui enim penetrandi & subeundi densissimas argenti viui partes aut metallorū non obtinebit, Ergo in ea proiectus nō perficiet. Atqui tam diuturna coctione concretus, & alteratus sal noster aurificus, hac fusili & subita proprietate caret, Ergo ei restituenda est. Mirum autem videri non debet, si prius dixerim salem nostrum aurificum in quouis liquere solui, hīc quoque calore liquari, Quod contra Aristotelis regulas dictū videtur. Quæ enim, inquit, calido sicco concresecunt, eadem frigido humido soluuntur, vt sales. Quæ verò frigido coquuntur, eadem calido soluuntur vt metalla. Sed experientia docet salem communem non solum in aqueo liquore

quore solui, verū etiam igne. Si enim sal vt argentum testaceo in vase liquatus fuerit, conspicias eum solutum, vt aquam puram, Et in canaliculam proiectus frigore conerescet, vt metallū. Sic & in ceteris salibus accidit. Quod si saepius solutione ab aqua, filtratione & coagulatione purgentur, tandem calore leui vt cera fundentur. Eadem ratione pulueri nostro aurifico fusionem celerrimam comparandam esse quidā existimarunt. Sane humido salem nostrum fusione carentem solui necesse est, at non in aquæ liquore. Non enim sal noster sola faciliq̃ fusionē indiget, vt omnino perficiatur, sed humido quod illi in centro vniatur, & cum eo figatur, vt ipsum à vitrificatione tueatur. Aqueus autem liquor hoc præstare non potest, Nulla enim arte figeretur cum sale nostro. Idcirco & solvendus simul & incrandus. Est enim Ceratio postremus perfectionis gradus: Quam Geber definit esse rei duræ non fufilis mollificatio [†] ad liquefactionem, ^{† nem} Cuius inuentionis causam esse ait, vt quod ingressum ex priuatione suæ li-

quefactionis non habebat in corpus ad alterationem mollificaretur vt flueret, Et vehementer errare & hallucinari eos, qui cerationem ex oleis & aquis liquidis fieri existimant, sed eam ex spiritibus fieri oportere. Appellat autem spiritus argentum viuum. Et sanè hanc solutionem & cerationem pulueri & sali nostro præstat argenti viui animati mistio, Cuius hæc est methodus. Denarium seu vigintiquatuor grana pulueris misce cum quatuor denarijs argenti viui animati, vt fiat malagma: Quod vitreo vase ad figuram oui cōflato includito, & vitro obfera: Et quatuor prioribus ignis gradibus concoque eo ordine, quo puluis elaboratus est. Et triginta dierum spatio omnes colores sese prodent, qui nouem mensium tempore antea conspicui facti sunt. Idem opus repete septies addendo pulueri quatuor partes argenti viui animati. Breuiori autem temporis spatio opus iteratum conficitur quàm vice prima. Quod enim iam sal est, celerius soluitur quàm quod sal nondum est, sed esse potest. Sic salem aurificum perfectissi-

mum seu lapidem philosophicum habebis, fixissimum, fusilem vt ceram, tenuissimum vt aquam, penetrantem, tingentem, transmutantem, & perficiētem omne argentum viuum tam vulgare quàm quod corporibus metallicis inest in verissimum aurum. Signum perfectionis salis hoc erit, si illius granum in laminam argenti ignitam proiectū statim liquabitur, & partes argenti interiores subierit, lateque sese quaquer^{na}sum diffuderit, vt oleum, & colore aureo intus & in superficie infecerit sine vlla expiratione in vaporem. Quod autem detractis viginti quatuor granis supererit, eadem ratione & methodo perficies. Primū autem vigintiquatuor tantū grana detrahuntur, quod vna quaque reiteratione operis augeatur quantitas additione & mistione noui argenti viui. Et si primū plura ex massa quàm vigintiquatuor grana decerperentur, sub finem septimæ reiterationis maior esset moles, quàm vt cōcoctioni sese dederet.

32. Et si autem substantiæ neque intenduntur, neque remittantur, tamen

*Accretio
salis auri-
fici tam in
quantitate
quàm fa-
cultate &
viribus.*

ipsæ per qualitates tanquam per instru-
menta agunt. Et cum qualitates inten-
di & remitti possint, per has sal noster
fusilis acutiùs aut hebetiùs agit. Idecirco
antecessores admirabili arte inuestiga-
runt salem nostrum aurificum seu lapi-
dem philosophicum fusilem & quanti-
tate, & viribus seu facultate agendi au-
gere. Huius incrementi duplex est ra-
tio seu methodus. Altera est, vt eiusdẽ
salis iam perfecti sumatur vncia, eique
duodecim argenti viui animati vnciæ
admisceantur, solvantur, & distillentur,
hinc quatuor vnciæ huiusce argenti vi-
ui animati misceantur vnica vnciæ sa-
lis nostri perfecti, Et quatuor caloris
gradibus concoquantur. Posterior verò
methodus & magis compendiosa est,
vt portiunculam salis nostri perfecti in
argentum viuum vulgare proijcias. Ex
hoc auro (quod philosophicum appel-
lamus) summa arte argentum viuum
prolicito, illiusque vnciam vnā vn-
ciæ vnica salis nostri perfecti misce, Et
quatuor caloris gradibus concoque. Et
breuissimo temporis spatio omnes co-
lores conspicias, quos conficiendo salẽ

nostrum aurificum primum conspexisti. Intensio enim est gradus qualitatis radicitus magis infixæ in eadem parte subiecti, hac enim reiteratione sal totus redditur igneus, & tenuissimæ & subtilissimæ consistentiæ. Ignis autem & quæ ignea sunt, plus actionis obtinent: Et quò tenuiora, eò promptius & celerius penetrant & subeant partes interiores. Ergo quò sæpius iteraueris, eò plus incrementi tam quantitatis quàm virium & facultatum posteriori pulueri accedet.

33. Hæc agendi methodus antiquis
versibus his præscribitur.

Priscorū
sententiæ
obscuræ de
lapide phi-
losophorū.

*Si fixum soluas, faciasque Volare
solutum,*

*Et Volucrem figas, faciam te Vinere
tutum.*

Coniuncta disiunge, disiuncta reiunge.

*Liqua duratum, dura liquatum, di-
cam te beatum.*

*Arsenicum fore dic animam, sed spi-
ritus extat.*

Argentum viuum, Calx corpus dicitur esse.

Per fixum intelligitur aurum. Solutio illius est per argentum viuum vulgare aut aliud in argentum viuum reductio. Solutum autem euolat, cum vtrumque vi ignis distillatur in argentum viuum, & in vas recipiens delabitur. Volatile autem figitur, cum quatuor eiusdem partes parti calcis aureæ miscentur, & concoctione figuntur. Coniuncta autem disiunguntur, cum partes auri solidæ soluuntur. Iunguntur autem iterum, cum solutæ partes figuntur, Arsenicum est anima, id est aurum in argentum viuum solutum. Spiritus est argentum viuum, vel vulgare, vel ex cæteris metallis arte prolicitum. Calx est aurum in calcem reductum. Nec longè abest ab his quod dicunt, Azot & ignem huic operi sufficere. Azot enim est aurum in argentum viuum crassiusculum solutum, quod concoctum & fixum igneo calore temperato, est lapis noster, seu potius sal aurificus fusilis & fixus. Quin & ex his quæ dixi-

Azet s. 49.

mus, quæcunque à veteribus ænigmaticè scripta sunt, facillè quiuis intelligere poterit. Tandem verò superiorem methodum paucis verbis comprehendit Geber libro summæ perfectionis, cap. 30. & 43. Totius operis intentionis summa est, inquit, vt sumatur lapis in capitulis notus, & eius additamentum, id est aurum in oleum seu argentū viuū conuersum, & subtilientur donec in vltimam subtilitatis puritatem deueniant, Et vltimo vtrumque fiat volatile fixum, Et fixum iteratò solutum, & solutum volatile, & volatile fixum: Et in hoc ordine compleri arcanum, quod est pretiosissimum, & quod est super omne huius mundi scientiarum arcanum, & thesaurus incomparabilis.

34. Quantæ autem fuerint salis nostri aurifici vires & facultates, sola experientia demonstrari potest. Granum enim pulueris in emundatum & purgatum argentum viuū proijcitur, quod non in metallum primò, sed in puluerem vertitur, cuius vis tamen immunitur: Et huius pulueris postremi pars in aliud argentum viuū proijcitur, to-

*Proiectio
salis nostri
aurifici in
argentum
viuum.*

tiesque ex postremo puluere fit proie-
ctio, dum non puluis sed metallum cō-
fletur. In mīstione enim qualitates
igneæ calidæ & siccæ pulueris nostri
aurifici pugnant cum qualitatibus fri-
gidis & humidis argenti viui, nec nisi
certa proportione qualitatum agētium
& patientium argentum viuum tam
vulgare quàm metallorum temperatur
& perficitur in aurum.

35. Forsitan dubitabunt plerique, qui
audient profiteri nos argentum viuum
vulgare quantumuis animatum esse al-
teram seminis partem, tum quòd æger-
rimè aurū vnà cum illo in sublime fera-
tur, vniatur, & animetur, tum quòd hu-
miditatem impensè indefinitam & in-
terminatam habeat, Postremò etiam, si
idem ipsum alteram seminis partem
constituat, vtriusque seminis perfectio
in longissimum tempus protrahetur.
Itaque vel ex stanno, vel plumbo, vel
stibij regulo (sic enim quod subsidet,
dum purgatur, appellant) prolicitum
argentum viuum prastantius & com-
pendiosum magis iudicabunt. Quorū
opinionem parum aduersabor, imò facile
subscribam,

subscribam, præsertim si ex stibij regu- *Argentum*
 lo diducatur argentum viuum, Maxi- *viuum ex*
 mam enim totius substantiæ similitu- *plumbo*
 dinem habet cum auro. Sed hoc ani- *stanno &*
 maduertendum erit, ex vario argenti *stibio edu-*
 viui temperamēto priores caloris gra- *ctum est e-*
 dus intendendos aut remittendos esse. *tiā altera*
 Scopus enim est humidum sicco vni- *pars semi-*
 re, & vtrumque figere fixatione firma &
 solida. Hinc in obseruatione vniuscuiusque gradus caloris externi hæc est
 lex, vt sit æqualis calor, & temperatus,
 qui semen vtrumque mistum alterare
 possit, at non in vaporem rarefacere. Si
 igitur argentum viuum vulgare ani-
 matum misceatur auro, remittendus e-
 rit caloris gradus initio operis, est enim
 magis indefinitum & volatile: Sin ex
 cæteris argentum viuum arte prolici-
 tum eidem auro misceatur paulò intē-
 sior adhibendus erit caloris gradus. Hu-
 iuscemodi enim argentum viuum cum
 sit crassius, magisque à natura decoctū,
 maiorem vim ignis tolerat, nec tam fa-
 cile à calore igneo euolat in fumum,
 vti vulgare. Hoc autem argētum viuū
 ex plumbo, stanno, & regulo stibij e-

K

ducitur ea via ac methodo quam Geber in sublimatione Marcasitæ docet. Ignis enim excellentis vi fertur sursum vapor quidam siccus, qui lateribus vasis frigido densatur & cōcrefcit, hinc exemptus & oleo tartari maceratus, lotus, & tritus emergit argentum viuum fluidum veluti à terrena fece vindicatū & purgatum. Hanc proliciendi argenti viui methodum prisci illi huiusce artis professores omnes filētio præterierunt, nec vsquam scriptis prodiderunt, Et consultò quidem. Est enim totius operis arcanum, & aditus ad posteriora. Sed quid iuuat posteriora hæc apertissimè illos patefecisse, priora autem occultuisse?

36. Hæc est igitur dilucida, recta, vera, atque compendiosa conficiendi salis nostri aurifici seu lapidis philosophici ratio, cuius vis & facultas est argentum viuum necnon reliqua metalla in aurum verissimum perficere.

Aurum potabile Est etiam verum aurum potabile, quod in omni liquore soluatur: Et, vt aiunt, præstantissimum est & accommodatissimum profligandis morbis despera-

tis remedium. Huic soli soli aurifico
insistendum esse potissimum tutius esse
semper existimaui.

37. Verum non pauci ~~de~~erunt, qui au-
rum sine argento viuo soluisse, & sine
hoc sale aurifico seu lapide philosophi-
co etiam se aliquid praestitisse, & expe-
rientia comprobasse affirmabunt, &
breuiori quidem temporis spatio. Qui-
bus ut respondeam, non inficiabor, sa-
les quosdam arte in aquam & liquidam
consistentiam verti posse, idque expe-
ditiùs quàm aurum ab argento viuo
soluitur. Quarum aquarum vi & fa-
cultate accerrima aurum in liquorem
quendam solutum apparet, sed verè so-
lutum non est, nec naturam exuit
metallicam. Eousque enim solutum
conspicitur, dum liquorem salsum re-
tinet, qui verè auro mistus non est,
nec vnitus. Dissimiles enim naturæ nō
verè miscentur. Itaque liquor ille sal-
fuginosus igne violento depulsus in
vaporem rarefcit & effertur sursum, au-
rum autem imo vasis ut puluis fuluus
aut croceus fixus subsidet, qui chryso-
colla addita liquatur, & rursus sine in-

*Aurū vi
aquarū a-
cium sol-
ui quidem
posse sed
non verè.*

76 DE RECTA ET VERA, &c.
tertrimento in aurum redit. At argen-
tum viuum, quod alteram esse seminis
partem diximus, verè soluit aurum, ei-
que vnitur, & cum eo figitur in perpe-
tuum. Sunt enim eiusdem formæ, sed
non eiusdem temperamenti, aut potius
eiusdem perfectionis. Hac solutione &
vtriusque fixatione peracta, puluis aut sal
noster aurificus deinceps in aurum re-
dire non potest, nisi certa proportione
in reliqua metalla aut argentum viuū
proijciatur. Sal enim hic est vera tin-
ctura & oleum fixissimum & tenuissi-
mæ essentia.

38. Neque etiam ierim inficias aurū
in liquorem hunc aqueum solutum vi
aquarum acrium perficere posse argen-
tum viuum & argentum in purissimū
aurum. Cuius effectus causam non tra-
diderunt, cuius ignoratione quod agūt,
nesciunt, & errorem emendare nō pos-
sunt. Quod nos præstare oportet, quā-
uis orationis nostræ institutum præter-
gredi videatur. Sed quemadmodū pi-
la vehementissimè commota reuocari
non potest, sic calamus eò inclinatus
est ^{unde} ~~que~~ auocari non potest, ^{donec} ~~dum~~ omnia

quæ huc pertinent attigerit. Forsitan qui hæc perlegent ante aut post obitū nostrum, nostri memores erunt. Causa hæc est. Argentum viuum vt perficiatur, sola concoctione eget, Est enim, vt diximus, aurum imperfectum & immaturum. Calor igneus externus solus concoctionem hanc efficere nō potest, Non enim argento viuo miscetur aut adheret: Et necesse est aliquid eidem adherere, quo retineatur, dum concoquitur, ne in fugam vi ignis abeat. Rursus aurum, & si eidem adhereat, ipsum retinere non potest, tum quod sit consistentiæ crassioris, quàm vt eiusdem interiores partes subire possit, tū quod ante illius liquefactionem, cū tardior sit, ab ignis vi euanescat. Sed & si argentum viuum ab auro retineretur, non tamen ab eodem concoqueretur, Concoctionis enim causa est calor & qualitas ignea. Atqui auro qualitates igneæ insitæ non sunt, quibus indefinitū argenti viui humidum domare, definire & euincere possit. At cum ab his liquoribus falsuginosis solutum in liquorem existimatur (& si verè solutum nō

*Causa qua
aurum ab
acribus so-
lutū effe-
ctus pro-
ducit.*

78 DE RECTA ET VERA, &c.
fit, nec mistum) tamen hæc præstare
potest, Non eadem ratione qua sal no-
ster aurificus aut lapis philosophicus
efficit, qui solus ex sese nullius alterius
opⁱ indigus, nisi forte calore igneo ad-
iutus perficit. Sed iuuatur aurum, & si
naturam metallicam non exuerit, li-
quoribus illis acribus, Quibus solutum
tenuissimæ efficitur cōsistētia, & lique-
factionis facilima, vt cera, quandiu ei
admixti fuerint. Neque enim hi liquo-
res statim euolant, nisi vehementiori
igneo calore, Tametsi quidam, vt Lul-
lus, existimauerint eos perpetuò figi v-
nà cum auro. Quòd in animum indu-
cere nusquam potui. Sed eorum fixio
sufficiens est, quæ argentum viuum in
ignis pugna retinere possit, dum ad na-
turam corporis peruenerit. Præterea hi
liquores, cum nihil aliud sint quàm sa-
les, & naturam salis obtineant, qualita-
tibus proprijs igneis humidum argenti
viui seorsim concoquunt, definiunt, &
tandem omnino euincunt. Argentum
quoque, vt perficiatur, sola purgatione,
& concoctione eget. Atqui hi liquo-
res saliginosi vtrumque præstant. Mira

fanè est vis salium in toto hoc opere. At argentum cum sit aridius, indiget argenti viui mistione & vnione veluti glutino, cuius beneficio omnia auri examina subeat, & perpetiatur. Quòd enim humidum auri sit purum, viscosum & impenfè à natura concoctum, nulla arte à suo sicco distrahitur.

39. Methodus vertendi aurum in liquorem multiplex est, Et passim apud authores præscriptam & euulgatam reperies. Sed hæc facilis est. Aurum in calcem redigatur ea via & ratione, quã in præparatione eiusdem diximus. Hinc soluatur aqua regia, id est aqua acri ex sale petræ & calchanto distillata, cui deinde sal ammoniatus infundatur, & tepido loco in eadem soluatur. Ab hinc destilla aqueum liquorem tenuiorẽ distillatione per aquam, quam Balneum Mariæ appellât. Distillationem septies repete, dum videris oleum rubrum in imo vasis, quod calore leui soluitur, depositum verò ab igne concrefcit, veluti gummi. Huic gummi misce quatuor partes salis ammoniaci puri, priusque per sublimationem purgati, & in aquã

*Methodus auri
Liquandi*

*Vide supra
pag. 49.*

foluti: Et lāguido atque imbecillo igne
 concoque. Deinde humido loco solue.
 Hinc desicca. Et identidem hæc opera
 repete, dum calore sicco languido non
 concreseat, sed vt oleum crassum in eo-
 dem persistat. Huius olei vnciam mis-
 ce quatuor vncijs argenti viui purgati,
 Et concoque in vitreo vase apto octo
 dierum spatio, sensim caloris gradū au-
 gendo, dum vehementissimum adhi-
 bueris, & puluerem rubrum aut subcro-
 ceum conspexeris. Quem igne fusorio
 chryfocolla addita colliquabis in aurū.
 Verūm hoc expeditiūs fiet si globum
 ex auro & argento viuo confectum, vt
 supra docuimus, olei portiuncula deli-
 nitum contriueris & cōcoxeris. Postre-
 mō opus fœliciūs perages, si globum
 ex auro, argento, & argento viuo ex-
 presseris, eique olei eiusdem portiuncu-
 lam miscueris, contriueris, & concoxe-
 ris. Verūm hæc auri olea sali nostro au-
 rifico aut lapidi philosophico compa-
 rata nihili æstimanda sunt.

F I N I S.

